

populi multitudo diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suae munitiones serenitatem perdit. Sed haec nequaquam Pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericordius ex aliena temptatione fatigatur.

**CAPUT VI. UT SIT RECTOR BENE AGENTIBUS PER HUMILITATEM SOCUS, CONTRA DELINQUENTIUM VITIA PER ZELUM JUSTITIAE ERECTUS.**

Sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus; ut et bonis in nullo se praeferas, et cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat: quatenus et honore suppresso aequalem se subditis bene viventibus deputet, et erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. Nam sicut in libris moralibus dixisse me memini, liquet quod omnes homines natura aequales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quae accessit ex vito, divino judicio dispensatur: ut quia omnis homo aequa stare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti qui praesunt, non in se potestatem debent ordinis, sed aequalitatem pensare conditionis: nec praeesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noë Dominus filiius ejus diceret: crescete et multiplicamini, et replete terram; protinus adjunxit: et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae. Quorum videlicet terror ac tremor, quia esse super animalia terrae praecipitur, profecto esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus ceteris natura praelatus est: et idcirco ei dicitur, ut ab animalibus et non ab hominibus timeatur: quia contra naturam superbire est, ab aequali velle timeri. Et tamen necesse est, ut Rectores a subditis timeantur, quando ab eis